

**Programma Quo Decanus Totaq[ue] Facultas Iuridica Academiae Rostochiensis
Ad Dissertationem Inauguralem a Dn. Candidato Heinrico Schnitlern/
Rostochiense In Auditorio Maiori die 4. Maii ... Officiose & Aamice invitant**

Rostochii: Kilius, 1649

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732588774>

Druck Freier  Zugang



Herzliche Legung von
meinem besten Gut

R. U. jur. 1649.
Schütze - Schmitler.

PROGRAMMA

Quo

DECANUS

Totaq;

FACULTAS JURIDICA

Academiae Rostochiensis

AD

Dissertationem Inauguralem

à

Dn. Candidato

HEINRICO Schnitlern /

Rostochiense

*In Auditorio Majori die 4. Maij Ante- & Post-
meridianis Horis publicè habendam*

Magnificum Dn. RECTOREM,

Dnn. Professores, Doctores, Verbi Divi-

ni Ministros, Philosophiæ Magistros, & Ceteros

studiosæ Juventutis Cives Academicos Omnesq;


Alios literatos & literatis

favescentes,

Officiosè & Amicè invitant.

ROSTOCHI,

Typis NICOLAI KILLII, acad. Typogr. Anno 1649.





DECANUS
ET
COLLEGIUM

Juridicæ Facultatis.



Literas laudum altrices, gloriae educatrices, famæ nutrices, antiquitatis testes, memoriæ custodes, immortalitatis conservatrices esse; quibus nihil honestius, nihil dulcius, nihil majus aut præclarius humano generi datum, quod excelsum ac sublimem animum magis deceat, ac à vitiorum sordibus & effrenatis cupiditatibus mortalium mentes ad virtutem, honestatem & dignitatem sublevare & erigere valeat, dubium haud patitur. Illæ solæ fidelissimæ sunt vitæ hujus caducæ duces, virtutum indagatrices, vitiorumq; expultrices: Illæ tanquam Smaragdi preciosissimi suaviter & perpetuò virent: Illæ solæ rebus præclare gestis immortalitatem donant. Sed ex omnium literarum præstantissimarum complexu, præcipuam (post Sacrosanctam Theologiam) Juris scientiam sive Jurisprudentiam dixerimus, de quâ id, quod communiter de omni-

omnium literarum excellentiâ adferi solet, po-
tiori ratione non immeritò adferitur. Hæc beni-
gnissima Orbis mater est, à quâ in omne homi-
num genus leges & jura manarunt: quæ bene-
factis honores & præmia decernit, malefactis
ignominias & supplicia irrogat. Hæc sublatâ non
domus ulla, non civitas, non hominum inter se
societas, non ipsa deniq; universitas rerum stare
ac tueri se, punctum temporis posset. In quibus
Rebus publicis illa dominatur, illinc fraudes, do-
li & periuria exulant, Non adulteri, non raptores,
non fures, non Sicarij, non venefici, non latrones
& itinerum obsessores, alijve delinquentes re-
periuntur. Et quid quæso in hisce rebus morta-
lium societatem hominum inter ipsos, & vitæ
communitatē promovet? Jurisprudentia. Quid
nobis DEI V E R I religionem, patriæ charitatem,
parentum pietatem, fraternum amorem, bono-
rum hominum amicitiam inculcat? Jurispruden-
tia. Quid honestè vivere, alterum non lædere, su-
um cuiq; tribuere docet? Jurisprudentia. Sanè
quo magis in ejus dignitatem ac emolumenta,
quæ parit, oculi mentis conijciuntur, eo magis stu-
pere cogimur, verbaq; quibus Ea deprædicetur,
vix reperiuntur. Parens quoq; vitæ nostræ auda-
cèr adferi potest: Jurisprudentia etenim nō solū

ut vivamus, sed & benè vivamus, efficit. Parentes magnis laboribus & ærumnis opes nobis quærunt; Jurisprudencia stabilem earundem & quietum nobis usum largitur. Parentes contra aliorum nos injurias defendunt, quæq; vitiosa in nobis sunt corrigunt; Jurisprudencia hoc ipsū multò melius præstat, dum omnes vacuos à metu, à curâ solutos, immunes à sollicitudinibus reddit, Leges præscribit, urget, explicat, tuetur; non potentiam cujusq; reformidat; non gratiâ vel odio flectitur; non deliniri sese precibus, non precio aut pecuniâ corrumpi & adulterari patitur. Secus sentiendum de spurcissimâ illâ Rabularum arte, quæ venalia penè omnia specie recti habet; venalem linguam, manum, animam ipsam possidet: Quæ jura turpissimè cauponatur, leges ut ceram habet, in turpis sui lucri aucupia sequacem: Quæ favore aut odio ad gratiam vel pœnam consilia flectit, lites dolosè & captioso verborum circuitu serit, causas involvit, leges pro arbitrio torquet, judicia prolatat, terram mari miscet, & quasi histrioniam egregiè exercet; exercet sordidissimum & non è Rebus publicis modò sed & finibus naturæ exterminandum Jurisprudenciæ propudium, ut illi, à quibus unctius refert caput unctioresq; manus, in causâ triumphent, aut saltem gratiâ elabantur, Alii contrâ vel sumptibus attriti,

ti, vel moras pertasi, damnosis conditionibus
pacisci cogantur. Absit hanc teterrimam veræ
Jurisprudentiæ pellem veram nominare Juris-
prudentiam. Uti etenim in Philosophorum
choro non sophistæ avari ac superbi consistunt;
non inter Medicos locum inveniunt venefici &
pharmacopolæ circumforanei, aut annosæ ac
dentilegæ vetulæ: non inter Theologos Hære-
tici censentur, qui ad suam pravam voluntatem
scripturam Sacram cum scandalo Ecclesiæ, Aca-
demiarum dedecore, & animarum simplicium
dispendio torquent; Ita neq; Jurisprudentiæ Ju-
risq; consultorum augustissimo illi digni censen-
di titulo sunt, qui jus non defendunt sed ever-
tunt, & lites atq; controversias inter homines
non tollere, sed alere ac fo vere, vel inscitiâ vel
improbitate aut avaritiâ, conantur. Non est ta-
lis, quam prô dignitate celebrare haud possu-
mus, Sacrosancta Jurisprudentia, quæ jura sanctè
& religiosè tractat, periclitantem innocentiam
præsidio suo sublevat, ambigua fata causarum
æquâ judicii lance dirimit, lapsa, quantum in
humanâ manu est, erigit, erecta defendit & tue-
tur constantissimè,

—— Phalaris licet imperet, ut sit

Falsus, & admoto dicet perijuria tauro.

Et sicut amnes Salsuginem Oceani, in quem
fluunt,

fluunt, non mutant, sic in Jurisprudentiâ quicunq; affectus non diluunt Justitiæ severitatem. Sine quâ leges vel in usu consenescent, vel fraudulentis artibus circumveniuntur. Eâ remotâ nihil Regna, Principatus & Civitates sunt nisi magna atrocina, audaciæ & impietatis asyla, scelerum officinæ, & conclamata nequitia latibula: ubi licentia impunè dominatur & furit, ut potius è mundo Solem sustuleris, quàm è Republicâ justitiæ metum & veræ Jurisprudentiæ, quæ illam profitetur, cultû. Hanc jam animitus amplexus est ac sedulò ab ipsâ juvenili ætate excoluit Vir Eximius Dn. HEINRICUS Schnitler Rostochiensis, Juris utriusq; Candidatus meritissimus. Qui cum prius in Scholis trivialibus bonarum literarum fundamenta, & præcipuè sub celeberrimò illo Philologo hujus olim Academiae Professore meritissimo Dn. JOHANNE KIRCHMANNO, postmodum Scholæ Lubentensis Rectore fidelissimo ibidem jecisset, In aliquot Academiis illustribus præcipuè Juliâ quæ est Helmstadi; & Regiomontanâ quæ est in Borussiâ, tam studio Philosophicò quam Juris privati ac publici scientiæ solertem ac indefessam operam impendit; Eamq; in hâcce Academia patriâ non minori conatu & sollicitudine continuavit, Et egregia per binas in Philosophia & Juris-

& Jurisprudentiâ palam habitas Dissertationes,
non sine publico suæ eruditionis præconio, spe-
cimina edidit. Nunc itaq; condignum laborū in-
hoc venerando Jurisprudentiæ studio exantla-
torum præmium, Honorum scilicet ac Privi-
legiorum Doctoralium, sibi ab Amplissimo no-
strò Facultatis Juridicæ Collegio rependi justis-
simis haud dudum precibus flagitavit & efflagi-
tavit. Cum enim Examen privatum non parum
rigorosum prò more Academico cum eò inive-
rimus, Ipseq; laudabilia solidæ utriusq; Juris sci-
entiæ documenta nobis exhibuerit, unanimibus
votis dignissimum, cui decenter petiti summi in
utroq; Jure Honores & Privilegia Doctoralia so-
lenniter tribuantur, judicavimus. Ut vero Ejus
Eruditio nulli non innotescat. Hunc nostrum
DN. Candidatum, Divinâ ope, die subsequenti
Mensis Maij quartò, de Excellenti Sequestratio-
nis Materia in publico Auditorio disceptaturum,
communi omnium Eruditorum judicio & cen-
suræ exponemus. Qui disceptationis Inaugu-
ralis Actus, ut eò decentior ac conspectior eva-
dat, *Magnificum Dn. Rectorem, Reverendos, Con-
sultissimos, Experientissimos, Clarissimos Dnn. Pro-
fessores, Omnium Facultatum Doctores, Verbi Di-
vini Ministros, Philos. Magistros, Nobilissimam
& Eruditissimam studiosæ Juventutis Coronam, Ut*
E omnes

Omnes ac singulos catui *Literatorum* faventes officiosè, & amicè obsecramus, ut postpositis aliis curis & negotiis, Actum hunc honorificâ ac desideratissimâ præsentia cohonestent; Doctrinam in Jure utroq; DN. CANDIDATI ipsi quoq; explorent; & de hac præclarâ ac nobili materiâ disputaturo, benevolas ac benignas aures accommodent. Nos, ut tantum favorem & benevolentiam, quam jam expetimus, omni officiorum ac obsequiorum genere velut grati pectoris tessera demereamur, pro nosse & posse annitemur.

P. P. Rostochii sub Sigillo facultatis nostræ

Juridicæ, die 22. Mensis Aprilis, Anno

salutiferæ Christi Incarna-


tionis 1649.




et in sp. Jurisprudentiæ

De liberarum præstantia

quæ sicut à rabulistica, quæ vocantur,
distinguitur.





ntiâ palam habitas Dissertationes,
ico suæ eruditionis præconio, spe-
Nuncitaq; condignum laborū in-
do Jurisprudentiæ studio exantla-
ium, Honorum scilicet ac Privi-
ctoralium, sibi ab Amplissimo no-
s Juridicæ Collegio rependi justifi-
adum precibus flagitavit & efflagi-
nim Examen privatum non parum
ô more Academico cum eô inive-
audabilia solidæ utriusq; Juris sci-
enta nobis exhibuerit, unanimibus
num, cui decenter petiti summi in-
onores & Privilegia Doctoralia so-
antur, judicavimus. Ut vero Ejus
non innotescat, Hunc nostrum
um, Divinâ ope, die subsequenti
uartô, de Excellenti Sequestratio-
publico Auditorio disceptaturum,
nium Eruditorum judicio & cen-
sus. Qui disceptationis Inaugu-
eò decentior ac conspectior eva-
m Dn. Rectorem, Reverendos, Con-
orientissimos, Clarissimos Dnn. Pro-
m Facultatum Doctores, Verbi Di-
Philos, Magistros, Nobilissimam
m Studiose Juventutis Coronam, Ut
Omnes